

hospitali integraliter ministrentur. Martinus Feyste habens medietatem eiusdem mansi solvit in festo Walpurgis undecim grossos et quindecim ova et duodecim grossos Michaelis; Henricus Waltheri de reliquo medio manso similiter solvit undecim grossos et quindecim ova Walpurgis et duodecim grossos Michaelis et in perpetuum eorum successores. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum Stolpin anno domini M^o.CCC^o.LXIX^o. in vigilia beatae Barbarae virginis et martyris gloriosae.

Et nos Henricus de Slynicz praepositus, Nycolaus decanus totumque dictae Missnensis ecclesiae capitulum — — praemissis nostrum adhibuimus ac favorabiliter adhibemus consensum, coappendentes huic litterae nostri capituli sigillum in evidenciam huiusmodi nostri consensus pleniorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 601. 1369. 4. Dec.

B. Johann eignet mit Zustimmung des Capitels der Domkirche vom Domherrn Conrad Pruze erkaufte Zinsen in Mittelebersbach.

In nom. dom. amen. Johannes dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis praesentem paginam intuentibus gaudium et pacem et salutem in omnium salvatore. Dignum et congruum etc. Hinc est quod nos ad instantiam honorabilis viri domini Conradi Pruze, archidiaconi Lusatiae et canonici ecclesiae nostrae praedictae sincere nobis dilecti — unam sexagenam grossorum latorum Misnensium sive pro tempore currentium cum tribus grossis annuorum reddituum, sitorum in villa et pago villae Ebirsbach, in districtu sive territorio Haynensi sitae, prout inferius describentur, quos a prudenti viro Bernhardo dicto Schefer opidano in Hayn sua comparavit pecunia, recepta tamen prius libera et spontanea resignatione honorum ipsorum, quae a nobis procedebant et tenebantur in feudum, ab eodem ecclesiae nostrae Misnensi de expresso et concordi capituli nostri beneplacito et consensu donavimus — ad finem et effectum, quod praedictus dominus Conradus de praelibatis redditibus disponere libere poterit, quidquid pro salute animae suae duxerit in ecclesia nostra praedicta disponendum. Sed ut omnis dubietatis scrupulus in praemissis futuris temporibus de successorum et posterorum quorumlibet cordibus praecidatur, agros et areas, de quibus praedicti redditus exsolvuntur et eorum possessores et cultores praesentium duximus serie inserendum. Primo Fricze Schuman habet hortum in villa media Ebirsbach situm cum area attinente et confrontante ex uno latere cum area Kele dictae dy Greuyne et ex alio latere cum area Kele dictae der Hanen, solventem annuatim duos grossos et duos hallenses cum uno pullo in festo beati Michaelis; item Nickil Claws habet et possidet medium mansum situm in pago villae media Ebirsbach praedictae cum area attinente in eadem villa sita et confrontante ex uno latere cum area Katherinae Tusch et ex alio latere cum area relictae dictae dy Waltherynne, solventem annuatim viginti grossos in praedicto termino; item Katherina Tusch habet et possidet medium mansum et aream attinentem, sitos in pago et villa Ebirsbach prae-